Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1197
Quelle:
Copyright:

In iſtis verbis deſcribitur &c. ut ibi.

III. *fol.* 156. p. 2. Sententiae e PP. et Scriptoribus profanis collectae de *Ebrietate*, de *Praedicatione* verbi Dei, de *Sacerdotibus*, item Expoſitio *Orationis Dom.* ex ejusmodi Sententiis congeſta, *Salutatio angelica* rhythmis hiulcis incluſa, et Interpretatio quorundam Nominum hebraicorum, puta: *Aſſwerus*, *Heſter*, *Rechabita* &c.

IV. *fol.* 165. *Sermo de reſurrectione.* Initium: *Auguſtinus in quodam ſermone et Nichodemus in ſuo evangelio oſtendunt* &c. Ex ungue leonem.

V. *fol.* 167. *Octo ſpecies uel caſus turpitudinis quas quandoque conjugales ſolent exercere inter ſe.* Hic quoque non pauca inepta.

VI. *fol.* 169. usque ad finem *Sermonum* Congeries partim in *Dominicas*, partim in *Quadrageſimam*, quos inter varii ex editis *Jacobi de Voragine* depromti ſunt. Primus *In Epiphania domini* incipit: *Omnes de ſaba venient &c. Yſa. 60. Saba eſt fluuius in Arabia* &c.

CCCVI. IX. G. 32.

638 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 350. 4. *datus olim*, ut praefert involucrum, *ad libraria collegij ducalis artiſtarum a Jodoco gartner de perching in ſacra Theologia licenciato*, qui inter annos 1441—52. ter Rectoris Acad. *Vien.* munere functus eſt, ſequentia complectitur eadem manu exarata: I. Sententias PP. de variis Materiis moralibus, quae tamen Elencho praefixo non reſpondent ordine, et vix ſextam illius partem exhauriunt.

II. *fol.* 13. ſuccedit (Joh.) *Milicij Magiſtri Pragenſ. Sermo.* Thema: *Sacerdotes contempſerunt legem meam* &c. *Ezech.* XXII. Initium: *Reuerendi patres ac domini ſicut deus omnipotens pro ſalute humani generis miſit patres ſanctos* &c. Gravis objurgatio Sacerdotum officii oblitorum. De Autore a. 1374. vivis exemto dixi alibi.

III. *fol.* 20. *Hec dicitur epiſtola miſſa per luciferum domino clementi* (VI.) *ſub anno domini M°. CCCL.* Vide, quae de hujus furfuris *Epiſtolis* notata ſunt ad *Codd.* varios, in *Indice.* Praefens incipit: *Lucifer princeps tenebrarum profundi triſticie regens achirontis imperia* &c. et ſi titulus recte habet, conficta eſt a quodam *Ludovici Bavari* adſecla.

IV. *fol.* 22. p. 2. *Incipit Stella clericorum.* Ita: *Quaſi ſtella matutina in medio nebule* &c. Adi, ſi placet, *Indicem.*

V. *fol.* 33. *Exemplar litere quam magiſter de rodis domino duci veneciarum miſit.* Nugae de *Antichriſto* nato a. 1385. in *Babilonia*, quarum initium: *Notum ſit veſtre dominacioni ac deuocioni omnium dominorum ac comitatuum tocius ytalie* &c. Exemplar germanicum relatum eſt alibi.

VI.